

THEOPHILI SIGEFRIDI  
 BAYERI  
*Regiomontani*  
 DE NUMMO RHODIO  
*in agro Sambienſi*  
*reperſo*  
 DISSERTATIO

---

*in qua*  
*ſimul quaedam nuper de numis Roma-*  
*nis in agro reperſis cogitata*  
*retractantur.*

---

REGIOMONTE  
 LITTERIS REVSNERIANIS.

A. MDCCXXIII.

---

APVD HALLERVORDII HEREDES  
 VENDITVR. ✓

THEOPHILI SIGEFRIIDI

BAYERI

Regiomontani

DE NUMERO RHODIO

in agro Zambienſi

reperito

D I S S E R T A T I O

E X I I <sup>mic</sup>

in qua

quædam inſcriptio de annis Romæ

in agro reperita cogitata

retractata

R E G I O M O N T E

L I T T E R A R I J S

in typographia


APUD HÆDERICUM HÆDERES

VENDITUR


NICOLAO KEDERO  
*Nobili Sueco Regii antiquitatum  
Sueo Gothicarum collegii  
Assessoris.*

**C**Vm, quae nuper de numis Romanis differui, vehementer tibi placere, pro tua humanitate ad me scripsisti, non possum, quia, quae in veteri opinione emendavi, ad te quoque mitterem. Non modo, quod sic meritis ab ea comitate, quam mihi exhibuisti, ut, cum superiorem commentarium viro vni omnium doctissimo meique studiosissimo Christiano Goldbacho dicarem, hanc dissertationem tibi inscriberem, quem mihi, illo conciliante amicitiam, benevolentissimum esse cognoui: sed etiam, quod ipsa res a me postulat, ut si optimum, te vtiq; potissimum iudicem sedere velim. Est in te tam eminentis doctrinae gloria, tanta in vetustissimis indagandis sagacitas ingenii, ut quoties numum vultus tui, quem munere tuo teneo, contemplor, toties iudicem, scitissime in te exhibitam fuisse stellae imaginem inscriptamque: IN TENEBRIS LVCEM. Nec ego hoc dico ut te laudem, quum omnem celebrationem nominis tui, Elisae Brenneriae eruditissimae ad miraculum Sapphus vestrae, viuidum ac caeleste carmen obscurat: sed quod de te praeclarissima cogitanti, non possit non aliqua meae existimationis commemoratio mihi excidere. Valetudinem, de qua conquereris, tibi secundiorem esse vel meo incommodo velim, cum in ea senectute et experientia multum adhuc prodesse litteris possis. Quod autem a te iamdiu nihil litterarum, ex eo afflictioem, quod Deus auertat, metuo factam esse. Ita ego vero demum mihi ipse viuere videbor, si tibi et incolumitatem et cetera secunda fortunae ex animi tui sententia obuenuisse cognouero. Vale. Regiomonte III. Id. Sextilis c19 1000 xxiii.

III



II



**I**nuentus est anno cio iccc vii in Sambienſi agro, Fiſaufenſis vbi praefectura eſt, hic numus, qui nunc apud Andream Lilienthalium ampliffimum virum, et in inſigni dignitate, patriae literarumque amantem ſerua- tur. Aeneus eſt, aerugine admodum viridi et pulchre habitus. In aduerſa eſt caput Apollinis liberali vultu, coma decenti et fluida, niſi qua eam laurus ſtringit. Sunt et infra mentum illius quaedam literarum notae, obliterate ab inciſura marginis. In auerſa eſt Rhodia roſa et Mi- notaurus.

Rhodiis illum numum et Apollinis vultus et in pri- mis roſa in auerſa vindicare videntur. Qui Pindarum in Olympionicis, ode ſeptima in Diagoram, aut eius Scholia- ſtam

stam leget, is nihil amplius desiderabit de fabulis, quae  
 ad Apollinem et Rhodum pertinent. Cognoscet autem,  
 nonnullos Rhodum, Amphitrites, hoc est maris, et Solis  
 filiam prodidisse: alios, e quorum numero Herophilus  
 fuit, Neptuno et Venere natam, deinde Soli nupsisse: na-  
 tos ex eo matrimonio septem partibus Cecarphum, Ochi-  
 mum, Actin, Macareum, Tenagen, Triopum, Phaethonta,  
 et super his filiam *ηλεκτροῦνα*. Eo et Aelius Aristides in  
 oratione de concordia (\*) solem *ἀρχηγέτην* Rhodiorum  
 vocat, et *ἱερὰν τῆ ἡλίου πόλιν* Rhodum sacram Soli urbem.  
 Praeterea alii referunt, sorte obuennisse Rhodi imperium  
 Soli, cum dii deaeque omnes peculium suum, caelum ter-  
 rasque, partirentur. Cultus ex eo Sol in Rhodo. Con-  
 firmant hoc tot numi, Solis radiato vultu signati, confir-  
 mat Colossus, tantae opus impensae, vt, quod Lucianus  
 in Ioue Tragoedo cauillatur, iis sumptibus sedecim aurci  
 dii potuissent fieri. Totius fabulae ratio in natura et hi-  
 storia merito constituitur. In naturae commentatione oc-  
 currit nobis maris et portuum (quos elegantissime Aristi-  
 des descripsit in Rhodiaca) oportunitas: qua cum Rhodus  
 maxime vteretur, inde Neptuni et Amphitrites et Oceani  
 credita est Rhodus: occurrit quoque terrae vbertas et  
 amoenitas aeris in ea insula, quo Lucianus in amoribus  
 respexit: *ἔστιν ὄντως ἡ πόλις ἡλίου, πρέπον ἔχουσα τῷ θεῷ τὸ κάλλος*.  
 In reliqua frugum affluentia, rosa illius agro insulae fre-  
 quens fuit, quam Didymus Alexandrinus in geponicis  
 ratus est *θειοτέρας μετέχειν φύσεως*. Credita idcirco Rhodus  
 Veneris filia, *διὰ τὸ ἀνδρῶν ἢ χαριέστατον*, vt Pindari scholia-  
 sta vetus iudicat. De aere autem Plinius testis est, *Rhodi*  
*νηπιῶν* tanta nubila obduci, vt non aliqua hora sol cernatur.  
 Ad historiam in ea fabula pertinere videntur Rhodi ex Sole  
 liberi, e quorum numero credo Phaetontem, mercatorem

fuccinarium exstitisse, ac, cum ad eum diem Rhodii succina acceperint e Ponto, euectum eum ad occidentem littora nostra quaerere instituisse, in medio deinde cursu fecisse naufragium. Inde Electryon soror eius, id est, succinaria negotiatio, eum luxit. Cetera, quae de Phaetonte dicuntur, (vt in plerisque aliis fabulis ex vera historia ortis) adiecta fuere ex naturae commentatione aut a poetarum ingenio. Pleraque ad eam, quam veteres prodidere, succini originem pertinent.

Iuxta solis effigiem literae, quae legi possunt, haec sunt NEO . . . . Quid, si NEOITTOAEMON legamus et interpretemur eo cognomine praetorem Rhodium? In numis a Begero editis praetores reperiuntur Antaeon, Marion, Aristedas, Straton, Damas, Anaxidotus, Action, Dexitrates, Artemon, Maes, Tharsylas, Temostratus: apud Golzium, Ganasimachus, Timotheus, Lyson, Chrysomandrus, Aristeus, Xeimostratus, Pamidus: apud Nicolaum Haynum Romanum, in Thesauro Britannico, exhibetur Aristacus (quem Aristocratem ducem interpretatur, cuius apud Suidam exstat mentio) apud Polyaeum in stratagematis Agathostratus. Alii alibi.

Iam in auersa numi huius parte cernitis rosam Rhodiam, qualis frequens exstat in numis Rhodiorum. Haec vel in primis facit, vt ad Rhodios eum numum pertinere iudicemus. Sed obiicit mihi quisquam, minotaurum, qui potiori stat loco, Cretensum eiusue insulae coloniarum symbolum esse. Rhodii autem secundum Herodoti Euterpen Dores erant. Inde et Aelius Aristides in Rhodiaca (\*) hortatur eos, vt seruent in calamitate τὸ πάτριον τοῖς Δωριεῦσι Φρόνημα auitam Doriensium magnanimitatem et in  
ora-

(\*) p. 360.

oratione de Concordia (\*\*\*) Lacedaemonios ἀμοφύλας  
gentiles vocat Rhodiorum : et (\*\*\*) a Doribus e Peloponne-  
so oriundos Rhodios solos hactenus sinceros Graecos, Hera-  
clidas et Asclepiadas auctores originum suarum habuisse.  
Scholiasta Thucydidis : Δωρῆδες νῆσοι, Ρόδος, Κάδος, Κνίδος. Ar-  
giuorum profectionem in Rhodum Pindarus et Strabo ac-  
curate enarrant. Enimvero ex iisdem constat Telchines  
ante Argiuos ex Creta immigrasse Cypro et deinde Rhodo.  
Dices autem, quia Argiui posteriores Cretensisibus vene-  
runt, potioremem postremae coloniae memoriam futuram  
fuisse, itaque te mirari, quod Minotaurus loco exstat  
praecipuo, rosa veluti per negligentiam minori spatio in-  
feratur. Et est hoc certe aliquid. Fortassis ergo numus  
ad Caunios pertinet Rhodiorum tributarios, Cretensum,  
vt Strabo hoc docet, colonos. Manet enim Cretensis me-  
tropolis insigne Minotaurus, vt in Hyrinorum, Nolanor-  
rum, Neapolitanorum, Gelae, Suesae Aruntiae ceterarum-  
que Cretae coloniarum aere. Credo autem Creteneses,  
cum primi omnium, (si qua Thucydidi de tam antiquis fi-  
des,) mari potentes essent, per mercaturas cum Bosporanis  
bifontem e Scythia aduectum ac in labyrintho constitu-  
tum (ferocem vtique belluam et barbatam in modum viri)  
originem fabulae de Minotauro semiuiro dedisse. Vultus  
Minetauro is est, quem Oppianus aliique bifonti tribue-  
runt. In eodem denique hoc, Caunii Rhodiam ro-  
sam et Solem cum Rhodii praetoris nomine signarunt,  
quod Rhodiorum sub potestate et imperio essent.

Oritur ex eo quaestio multo grauior, quinam a Cau-  
niis aut a Rhodiis eorum dominis, ad nos peruenerit nu-  
mus? Mihi fit verosimile, factum hoc esse per Borysthe-  
nitas mercatores. Multas ad Pontum Graecas colonias

ex.

(\*) p. 386. (\*\*\*) p. 396.

ἀμοφύλας (\*\*) p. 396.

exstitisse ex Scymno Chio, Scylace Caryandensi, Diony-  
 fio Afro, Agathemere, aliis, ostendere possum: nulla tamen  
 sic oportuna ad Sarmaticas mercaturas, quam Olbia: Bo-  
 rysthenem a fluuio vocauere posterii. Urbis situm habes  
 apud Herodotum et apud incertum autorem peripli Ponti  
 Euxini. (\*) Pomponius Mela duo oppida facit Borysthe-  
 nida et Olbiam: in quo vehementer fallitur. Stephanus  
 Byzantius: *Μιλησίων ἀποικία*. Strabo id confirmat. Uter-  
 que opinor, ex Herodoto. Conditam dicit Eusebius O-  
 lymp. XXXI. Ad situm urbis eius designandum, haec  
 sunt etiam nimis multa.

Cum Borysthenitis Rhodii commercia miscuerunt.  
 Nam ut Aristides ait (\*\*) *ἔπλευσαν μὲν ἅπασαν, ὅση πλωί-  
 μῳ θάλασσα*. *Omnis mari, qua navigabile erat, nauigarunt.*  
 Rhodii fortassis ab Olbitis etiam succinā accepere. Ho-  
 mero et Hesiodo nec succinū nec Phaethontis fabula no-  
 ta est. At Herodoto succinum ab aquilone ferri et ab  
 Eridano, notissimum fuit. Inter haec tempora, aetate  
 tamen propiori ad Homerum, et Borysthenes colonia est  
 deducta, et succinum perlatum ad Rhodios, et fabula na-  
 ra de Phaethonte Rhodio. Inde quoque est, quod He-  
 rodotus de succino, et cum eo alii Graeci de gentibus ad  
 utramque ripam Borysthenis, longe veriora et ampliora  
 prodiderunt, quam Romani: nam propius per Borystheni-  
 tas cognouerunt. Etiam Herodoti aetate vltiora fuerit  
 notiora, quam Claudij Ptolemaei aut Arriani temporibus.  
 Ex quo illud fortasse fit verosimile, Herodoti temporibus  
 Olbitas latius mercaturas tractasse, quam vlllo tempore  
 post, cum per Alanorum incursiones et stultas immodera-  
 tasque opum eius ciuitatis emunctiones, denique et urbis  
 euersionem, interruptae fuere. Credibile est igitur ante  
 Hero-

(\*) p. 8. ed. Hudf. (\*\*) p. 364.



Herodotum multo adhuc liberiorem navigationem Borysthenis fuisse, cum finitimi auiditate Graecorum nondum corrupti ad inuidiam et rapinas erant. Sunt quidem in Borysthene cataractae, sed eas non puto impediuisse navigationes Graecorum. Opinionis meae duo argumenta sunt. Primum testantur veteres, Borysthenem quadraginta iter dierum praebuisse Graecis nauigantibus, quod sine dubio ultra cataractas fuit. Tum Herodotus vero vltiora Borysthenis pro incompertis reliquit, quod ibi frigora et glacies totum obtinerent fluuium. Quod ego sic interpretor: Borysthenitas totius aestatis navigatione profectos aduerso Borysthene, paene ad ipsos fontes, ab hieme, deprehensos, congelato fluuio asperam stationem habuisse, eaue de caussa postremo omisisse hanc navigationem. Aliter hoc de frigore explicari non potest. Sed de Borysthene necesse est, antequam progrediar, aliquid monere. Olau Rudbequius errat sine omni dubio, (\*) cum existimat Pripelium, antiquum Borysthenem esse, nomenque hoc ab fonte ipso perdurasse in ostia: Danaprin autem, qui ab oriente Pripelio occurrit, Hypanim veterem esse. Sed qui Herodotum legit, (ne dicam ceteros,) is animaduertet Hypanim ad occidentem in ipsis ostiis Borysthenis poni. Ibi sane Bogus (vetus Hypanis) miscetur Danapri, vti Scaliger ad Eusebii chronicon accurate annotauit. (\*\*) Praeterea confluxus Pripelii et Danapris multo longiori spatio a mari abest, quam vt ibi Olbia ducentis et quadraginta stadiis a mari sita fuisse potuerit. Fontes Borysthenis a veteribus ponuntur in Alaunico monte. Loquuntur autem non de Pripelii, sed de Danapris fontibus; nam Danapris vetustissimum Scythicum nomen est, quod incerto auctori peripli ponti Euxini notissimum fuit, forte et Iornandi, si

B

cum

(\*) c. IX. f. 428.

(\*\*) f. 82. ed. Amst.

eum ita, vt Vossius et Doduellus, emendes. Isthic enim uero, inquit, montes sunt nulli, sed perpetua planities. Nec ego postulo, vt montes sint. Solemne fuit veteribus, vt vbi fontes fluminum essent, isthic et montes ponerent, quos fluminum omnium esse aquales credebant. Satis est, isthic fontes poni Borysthenis, vbi nunc sunt Danapris. Plinius a Neuris oriri Borysthenem dicit: Naruensium, vt putat Rudbequius, maioribus. Iam adparet, aduerso Borysthene profectos Olbitas, haud procul a capite fluuii abfuisse. Ab eo Duna haud ita longe abest, ad quem mercatus succini instituti fuerint.

Hoc vt planius intelligamus, animaduerti velim Dunam Rudonem, hoc est Eridanum esse veterem. Eius opinionis argumenta habeo, quanta possunt in re tantae vetustatis et praeterea monumentis suis destituta. Primum Cl. Ptolemaeus et Marcianus Heracleota nobis flumina huius maris eo situs ordine edunt:

|                |         |          |         |
|----------------|---------|----------|---------|
| Vistulae ostia | 45. 56. | Rhudonis | 53. 57. |
| Chroni         | 50. 56. | Turunti  | 58. 59. |

Marcianus: Μετὰ δὲ τὰς ἐκβολὰς τῆς Ουισύλα ποταμῶ, ἐκδέχονται χρόνος ποταμῶ, ἐξῆς εἰσι ρυδῶν ποταμῶ ἐκβολαί. Ο δὲ ρυδῶν ποταμὸς ἐκ τῆς Ἀλάνας ὄρεος φέρεται. *Vistula, Chronus, Rhudon se excipiunt deinceps. Rhudon ex Alano monte fertur. Ibi fontes Dunae indigitantur, qui prope absunt a fontibus τῆς Δανάπρεως siue Borysthenis. Ac longitudinis quoque gradus id admittunt. Quamquam enim secundum rationes Ptolemaei orientior videtur esse Rhudon, quam Duna est, tamen animaduerti velim, littus hoc omne a Ptolemaeo in orientem longius protendi, vt alios quoque fa-*

cere

cere, annotari ab Eufathio ad Dionysium Afrum memoria teneo. Sic religio nobis non est, situs locorum nimis ad orientem ab eo designatorum, reduci ad occasum. Ita Chronus est Russa seu Niemon, Duna autem Rhudon.

Sed oritur hic nobis aduersarius Olaus Rudbequius in Atlantica, qui et Alaunos montes et Rhudonem, sub alio caelo collocat. Alanos montes (\*) in Lapponia, vbi *Malungz fiael larne* seu *iuga Malunia* sunt. Ab his versus occidentem Budinos montes, vbi *Budebaerg* nunc est; Galindas magis ad occidentem, propiores Noruegiae, vbi *Gallinswald* id est Gallinica Sylua. Quod Cato dixit, non credere se, augures conuenire duos, quin rideant arte sua populum illudi, id puto Rudbequio et Verelio vsu venisse, quoties conuenirent: viris vtique clarissimis, sed qui vix quidquam ex animi sui sententia dicerent. Pudet me in re tam aperta, veluti dubia esset, contra eos argumentationes expromere. Sed idem in Rhudone maiores etiam fabulas edit. Primum vbi ego Rhudonem voco, Rudbequius autem Rhubonem, in eo nolite mirari. Ego Marciani Heracleotae, is Ptolemaei vulgatam lectionem sequitur. Vtram lectionem rectius sequamur, non alia res magis, quam situs fluminis cognitus aperiet. Iam vero, Rudbequius Chronum dicit, *Viniam* Finniae esse (Credo autem eum de Onega ibi loqui.) Rubeum autem *Rubensconem* seu Duinam ad S. Michaelis Archangeli, Turuntum porro *Torneflod* seu fluium ad Tornam in Suecia. Hoc est, ponere

B 2

Vistu-

(\*) Vid. in eo tabulam Sueciae.

Vistulam gradu 40.

Chronum 60.

Rhobonem 61.

Turuntem 43.

I nunc et dic Rudbequium secutum esse veteres !

Rhudone constituto , Eridanum mihi inuenisse videor. Non est contemnendum, quod Aeschylus, Euripides et Apollonius Rhodius Eridanum interpretati sunt Rhodanum. Credo ego eos de Rhudone nostro audiuisse, sed de Rhodano Hispaniae perperam fuisse interpretatos. Ac veteribus vtique notum fuit, Eridanum eum infundi Baltico mari. Herodotum vide. Scylax Caryandensis: *μετὰ Κελτῶν Εὐρώπῃ εἰσι, Ἐρνῶν ἢ ποταμὸς Ἡριδανὸς ἐν αὐτοῖς.* Scio Scylacem ibi de Venetis Italiae loqui: sed acceperat is a maioribus vltra Celtas seu Germanos (nam vr apud Cosmam Indicopleusten insigne fragmentum Ephori nos docet, etiam hi ad Celtas pertinebant) colere Venetos ad *κόλπον Οὐενεδικόν* vt Cl. Ptolemaeus et Marcianus Heracleota loquuntur: isthic egeri Eridanum. At quoniam incompartas sub septemtrione habebat regiones, Venetos autem Adriae accolae nouerat, inde et ipse et multi alii de his Venetis se aliquid legere crediderunt, vbi de Venetis nostris sermo fuit. Qui autem rem accuratius considerarunt, nec Eridanum apud Adriae Venetos reperiri, nec isthinc succina egeri, nec omnino eorum natale solum alibi, quam sub septemtrione esse intellexerunt. Peutingeriana tabula ad haec litora: *Venadi Sarmatae* et ad Pontum Euxinum: *Venedi*. Philippus Cluuerus ad Gedani Radunam traxit Eridani nomen: sed assentandi eum caussa id fecisse opinor, cuius si quas caussas priuatas habuit, non ego studium et amorem patriae viro clarissimo exprobro. Mihi veri-

(\*) Rudbequius f. 59. male: *Scylax et ipse Gallos Germanosque ignorat. Celtarum meminit.* Dum enim Celtas vocat, et Germanos et Gallos communi nomine appellat.

veritatis potior, quam patriæ ratio est. At Duna fluuius  
 amplissimus et late patens et, veteribus notus, et proxime a  
 Borysthene, qua nauigatur, (quibus omnibus Raduna amne  
 superior est) aequius id nominis feret. Iam vero Herodoto  
 narratum fuit, Eridanum subire mare ad septemtrionem,  
*ἀπό τευ τὸ ἤλεκτρον φοῖτῶν λόγῳ ἐστὶ.* Non ait ibi gigni, sed  
 isthinc perferri succina. Fabula veris narratis abusa in eo  
 fluuio inueniri commenta est. In mercaturis autem vetu-  
 stis plerumque ad magna flumina mercantium stationes  
 erant. Sic ad Istrum mercatus fiebant, compulsis etiam  
 Romanis intra ripam strigam se continere: sic serici mer-  
 catura ad fluuium olim exercebatur, de quo Arrianum in  
 periplo maris Erythraei testem cito. Ita ad Dunam quo-  
 que Veneti suum succinum venum exposuere, vt fontium  
 Borysthenis accolae, Borysthenitis traderent: inde ad  
 Rhodios Graecosue alios perferretur. Herodotus quidem  
 de Eridano eo sibi referentibus credere noluit. Sed leui  
 argumento inductus, quia neminem repererat, qui septem-  
 trionale mare vidisset ipse. Cautè hoc et prudenter. No-  
 ta est Epicharmi cantilena *μέμνασο ἀπιστεῖν.* Attamen, vt  
 dixi, leue illud est argumentum. Et multo leuius alterum,  
 quo vtitur, quod Eridanus nomen esset Graecum, non bar-  
 baricum, inde, quae de eo referrentur, Graecorum fig-  
 mentum sapere. Enimuero satis compertum habemus,  
 quod Graeci omnium vocabulorum sonos emolliuerint, vt  
 ab ore suo non abhorrent. Si referre Medica et Persica  
 vocabula ex ipso Herodoto luberet nobis, quod satis est  
 notum omnibus, id quoque ex iis ostendere possemus, Grae-  
 cos vocabula barbarorum, quantum poterant maxime in-  
 flexisse ad suos sonos. Plato in Cratylo de ea consuetu-  
 dine, more suo, acute et suauiter disputat. Is quoque in  
 Timaeo non est ausus Atlanticae vocabula retinere, nisi

Graeco ore emollita. Rudbequius tamen voces Suecicas adeo aperte sub Graeco quasi pallio deprehendit, vt parum abesset, quin nobis assensum de Atlantica sua extorqueret vel inuitis.

Quo vero tempore numus Caunius seu Rhodius ad nos perferri potuerit, facilius sit quaerere aliis, quam nobis respondere. Coniectura tamen ducor, vt credam id factum esse ante miserabilem Rhodi cladem, quam Aristides describit, cum portus, qui e lapide in mare producti erant ac separatim alii, naues ex Ionia, alii e Caria, alii ex Aegypto aut Cypro et Phoenice naues accipiebant, terrae motu cum tota vrbe ita sepulti fuerunt, vt vix vestigium nosceretur. Immo vero, fortassis Borysthene adhuc salua: Alanis nondum medias regiones obsidenribus. Dixi de eorum expeditione in praefatione monumentorum Prussicorum. Dio Chrysostomus scribit, ante se annis centum et quinquaginta, Getas cum ceteris barbaris cupiditate alienarum opum et florentium inuidia vrbiu inuasisse Graecas ad Borysthenem colonias: iis excisis, mercaturae desiderio compulsos ad poenitentiam barbaros fuisse. Sero Phryges sapiunt. Vetus diuerbium, dictum de illarum stupiditate gentium percommode. Nam auersas semel opes et mercantium consuetudinem, multorum opus annorum, restituere Borysthene non potuerunt. Habita est Borysthenica oratio Dionis, quatuor et nonaginta annis a Christo nato. Igitur calculus exhibit, annis sex et quinquaginta ante Christum natum Borysthenicas mercaturas barbarorum auiditate disturbatas esse. Et ante id tempus numus ille ad nos perferri potuit. Reliquum est, vt, quia imagine et arte etiam infantes, nedum barbari, delectantur, pro hospitali munere eum Veneti acceperint, aut  
Fenni

Fenni potius et Aestii. Nam sicuti de Romanis coniecturam edidi, vt non profus negarem pretium apud maiores nostros pecuniae eius aliquando esse potuisse: ita, cum hoc nullo satis firmo argumento probari queat, inclinat magis animus ad priorem coniecturam. Locus est in Cosma Indicopleuste Aegyptio eximius, quem ego huc ponam, quia eo aliquantum iuuari potest eorum opinio, quibus multo verosimilius, quam mihi, est, antiquissimis temporibus Romanae pecuniae etiam in Prussia pretium fuisse. Ita scribit: (\*) *Potentiae Romanae, argumentum esse, quod ἐν τῷ νομισματι αὐτῶν ἐμπορεύονται πάντα τὰ ἔθνη ἔν παντὶ τόπῳ ἀπ' ἀρκῆ γῆς ἕως ἀρκῆ γῆς δεξιὸν ἔσω ἀνθρώπων ἢ πάσης βασιλείας ὅπερ ἑτέρα βασιλεία ἐχ' ὑπάσχει τὸ τοιαῦτον. Numis ait romanis pretium esse inter vniuersas gentes et omnia loca: a terrae extremo vno ad alterum vsque accipi ab omnibus hominibus, ab omni regno: quod alii regno non item accidat. Haec ille scribit de Byzantiis, sub Iustiniani primi imperio.*

Postremo quemadmodum hic numus in terram peruenit, ex eo possis colligere, quod de Romanis numis apud nos repertis prodidi. Ac contumulandae pecuniae consuetudinem, ex iis numis, qui reperti fuere in vni certo cognoscas. Ne reperam hic ex Olao Vormio (\*\*) aut Olai Rudbequii Atlantica, (\*\*\*) et quae Nicolaus Keder, quem honoris causa appello, in Orhino suo annotauit (†) de Sueonicis aut Danicis sepulturis, vnius Gabrielis Rezonzynski S. I. praestantissimi et doctissimi viri testimonium adferam: *In palatinatu Pofnaniensi, inquit, in historia naturali regni Poloniae, (††) dum A. 1100 x. saeuiente lue pestifera, tumuli pararentur ad oppidum Ryczywol,*

(\*) f. 148. id. Montf. (\*\*) In monumentis Danicis f. 46. 51. (\*\*\*) f. 239. cap. VII. (†) p. 58. 64. (††) p. 14. Adi et Scholiastam Adami Bremensis ad pag. 154. n. 97. ed. Maderi.

urnae sepulchrales septem apparuere. In eodem palatinatu, prope rus Gembice vicinum Pempowo, in apertum prodiit, vomere protrusa urna, continens praeter cineres, ostiumque segmenta, etiam numos argenteos, alios crassiores, tenuiores alios similes bracteatis, cum hac inscriptione, S. Adalbertus. Tenui aliquot oblatos mihi a fundi domino et in honorem antiquitatis, nobilissimo Horniano museo Gedani intuli.

In talibus urnis omnes credidi numos reconditos fuisse, qui hodie reperiuntur etiam extra urnas. Duae inde sententiae fuerunt, cur sine urnarum aliquo vestigio numi plerique reperirentur. Altera Friderici Vilelmi Magni Electoris, qui credidit, urnis erutis e terra et confractis, effusos fuisse numos. Altera eorum, qui credunt, urnis a vetustate consumptis, relictos in terra numos esse. Quarum illa utique probabilior est. Sed in mentem venit, quod verissimum iudicarem, quodue, isthaec scribentem nescio quomodo fugit. Non fuit vna tantum componendi mortuos ratio, combustis eorum cadaueribus, sed triplex. Simon Gruna ita describit. Plebem in tumulo condebant, qui proximus fieri poterat. Nobilem seu *supanum* itidem in tumulo, quem iuxta aulam eius fecerant condebant indutum veste optima, in qua rem diuinam facere consueuerat, et huic adiciebant pecuniam viatici loco, equum item et canes venaticos, ollamque cum mulso ad caput ponebant et obruebant terra. At regulos seu *Kunigos* pontifices comburebant cineremque in urna sepeliebant proxime principis cuiusque castellum. Super urnas aggerebant colles et toto mense certos homines ad tumulum lamentari sinebant, iterque praeter eum facientibus mulsum praebebant, id fore mortuis solatio arbitrati. Quos hic Gruna *Kunigos* vocat, hi principum et regulatorum digni-



dignitate habebantur. Nec debet cuiquam vocabulum hoc Teutonicum videri. Otto Sperlingius eruditus Danorum antiquarius id vocabulum a Danis suis prorsus repeti vult, adeo, vt scribat, (\*) Hunnos et Russos regum suorum nomen *Konning* vel *Kong* aliunde petere non potuisse, quam ex *Dania*, ubi tam celebris vocis cunae primae et domicilium fuit. Sed est vocabulum illud tam late patens, vt paucae gentes fuerint, quae eo non vterentur. Ego tantum Turcarum et Tartarorum titulum *Kaan* (qui tam frequens est apud Arabas in Gingiscanidarum imperio) et *Chan*, *Cham*, *Hau*, *Chakan*, *Хергив* (iam Menandro, Praesico Panitae, Simocattae, et omnibus illius tempestatis scriptoribus nimis notum nomen) *Cacanus*, *Hakon* apud Teixeiram, in memoriam reuoco lectoribus, ac quae alia congescit eruditus autor in Miscellaneis Berolinensibus. Quae rectius fortassis ab oriente et a *כנען* Hebraeorum reperas, quam a septentrione. Hic enim titulus ne tum quidem Francis, Danorum, (vt Leibnitius nos docuit) contiguus, notus fuit, cum eam versionem ederent, quae Vlphilae et Gothis ad Euxinum male tribuitur. Isthic regum illud nomen Teutonicum, quod nunc est, non occurrit, sed *Thindans* rex, *Thindinasses* vel *Thindangardi* regnum vocatur. Idque vsque ad Danum Secundum Magnificum Sperlingius in septentrionalibus quoque in vsu fuisse, concedit. (\*\*). Tum enim primum innotuisse alterum vocabulum, Snorroni Sturlsonio antiquissimo Noruagicae historiae autori, traditum est. Aliqui eum lapsum putant, et pertinere originem tituli ad Danum primum. Tormodus Torfaeus Islandus regis Daniae historiographus, in serie Dynastarum et regum Daniae, Rudbequii omniumque aliorum, immensae antiquitatis septen-

C

trio-

(\*) De regio nomine *Kenning* p. 27. (\*\*\*) p. 33.

trionalium gentium assertorum, rationes mirifice disturba-  
uit. Is (\*) fatetur regum seriem Odino et migratione Asia-  
norum Scythica, antiquiorem in septemtrione nullam dari.  
Eum ante Christum natum LXX. profectorem instituisse.  
(\*\*) Accessit opinioni eius Nicolaus Keder clarissimus anti-  
quarius. (\*\*\*) Circa eadem tempora, in monumentis Prus-  
sicis ostendo migrationem Alanorum a Maeotide in has  
terras, quas nunc Lithuani tenent, ponendam esse. Cum  
iisdem venisse Galindas Sclauanos et Sudinos. Ut adeo  
non titulum modo, sed fortassis etiam stirpem, Alanis, no-  
stris maioribus, debere Suecos et Danos, aliquis asserturus  
sit post me. Hoc veluti in vicem iis dicimus, qui tantum  
non omnem terrarum orbem ex *vagina sua* profluisse con-  
tendunt. Ac Ioanni Bazio (†) praesertim, qui primus cre-  
do Alanos in Aelandia sua exciuit. Ceterum, quod Sper-  
lingius scribit, Septemtrionales cito abusos titulo *Konger*,  
ut tot ex Noruagia Dania et Suecia prodierint, quot pro-  
uinciae, ut nullus finis aut numerus esset; id etiam apud  
nos post Videuntum regem accidit. Sed praeter *Kunigos* apud  
nos quoque *Supani* fuerunt. Etiam aliae gentes eo voca-  
bulo sunt vsae, sed ut adscititio. Villermus Tyrius (††)  
de Seruiis: *hi magistratus habent, quos Suppanos vocant.*  
Nunc in Lithuania regem vocant *Karales* adscito a Polonis  
vocabulo; at nobiles suos et parochos *Kunnigs* et *Supani*,  
alios honoris causa, *Ponatis*.

Haec ad illustrandum Grunam dici debebant, de cu-  
ius fide et integritate alibi dixi. Atque inde etiam est, quod  
tam paucae vrnae reperiantur. De Lithuanicis et Poloni-  
cis vrnis Miechouita quaedam dixit. Sed Gabriel Rezon-  
zynskius de paucis admodum aliquid accepit. Fateor,

motas

(\*) p. 226. (\*\*) p. 105. (\*\*\*) p. 5. (†) f. 977. (††) p. 22. Inuenta-  
rii ecclesiae Sueo Gothorum s. Historia ecclesiastica. Linco-  
piae 1642.

motas loco fuisse aliquas, sed plerasque mansisse ad hunc diem ex eo fit verosimile, quod in tumulis editioribus conditae fuerunt, qui praeterea (\*) lapidibus strati essent, vt per agrestes vomere moueri non possent: curiositas, ad hunc diem paucorum fuit. Itaque cum reguli non ita multi essent, mirum non est paucas quoque urnas existisse. Ille autem mos sepeliendi Suptanos antiquissimus et vere Scythicus est. Constat id omnino ex Herodoti Melpomene, in qua Scytharum eorum, ex quibus maiores nostri orti sunt, sepulturas regias ita describit: scrobem ingentem effodisse forma quadrata, mortuum impositum super torum in loculo, hastis vtrisque defixis pallio confixisse: tum pellicum vnam et pincernam et coquum et equi magistrum, et qui a nunciis fuerat, equos item et rerum aliarum primitias et phialas aureas demissas in foueam. Nam, inquit, ἀργύρω δδεν, δδὲ χαλκῶ χεῖραῖσι. Deinde humum iniecere, vt tumulus maxime fieret editus. Anno post, obtruncatos et equis impositos ministros regis, acto per equum virumque stipite, super sepulcro collocarunt. Plebis eandem, tantum non tam profusam sepulturam fuisse scribit. Quod de pecunia annotat Herodotus, id de eius aetate intelligendum est. Nam cum pretium pecuniae noscere didicerunt, etiam eam defoderunt. Id Iosephus Barbarus in Scythico tumulo, vt postea dicam, deprehendit. Et vt eundem morem contumulandi opes, apud Alanorum maiores in minori Asia, frequentem fuisse scias,

C 2 Phi-

(\*) Vide monumenta in meo commentario. Sed sculptor p. 36. in monumento Stablacano vitrum, quod ante mediam urnam ponere debebat, ut ego praescripseram, ad latus paulum semouit: patientiori etiam ventre fecit, quam debuit. Plura de tumulis eiusmodi et urnis agere constituit vir omni laude dignissimus et singulari eruditione Chr. Frid. Reuschius, qui quae monumenta a Lienthaliis fratribus optimis et eruditissimis viris, accepit, commentario illustrabit.

Philostratus in Apollonii Tyanensis vita refert, (\*) Cili-  
cem conquestum apud Apollonium, quod discrimen vitae  
suae pararetur propter diuitias: Apollonium vero protinus,  
an ex latrociniis aut effodiendo regum sepulcra, auro et  
thesauris referta, diuitias eas comparasset, quaesisse: velu-  
ti de re nota, Cilices fures, et iis in regionibus plena, re-  
gum sepulcra, diuitiis esse. Qui conferet Herodoti narra-  
tionem cum Prussorum ritibus a Grana expositis, is con-  
gruentiam prorsus deprehendet.

Vnde igitur comburendi regulos consuetudo orta  
est? Olavius Vorinius in monumentis Danicis (\*\*) suos quo-  
que ostendit tantum combussisse regulos. Iam autem Ioan-  
nes Scheferus in Vpsalia sua nihil dubitauit, Sudinos a Sue-  
cis caeremonias sacrorum accepisse. Immo vero etiam  
Sueci ritus sepeliendi ab Odino accepisse videntur, et Prussi  
ab iisdem Alanis Scythisue, a quibus Odinum profectum  
superius dixi. Sed dicat quispiam Scythas inhumasse mor-  
tuos, et vero constare ex Herodoto, retinentissimos caer-  
emoniarum fuisse, itaque verosimile non esse, eos aliunde  
comburendi regulos et principes morem mutuatos esse.  
Verum illud quidem de Herodoti aetate. Posterius ta-  
men multo maxime Graecis caeremoniis fauerunt. Hy-  
perborei quoque Delum misere suas *θεοπλασ*, quae rem di-  
uinam facerent. Testis Callimachus et Diodorus Siculus.  
Ac, si hic infercire vellem, quae Rudbequius passim de  
Graecorum et Suecorum ceterorumque Scytharum com-  
merciis annotauit, nimis multa dicenda forent. Et sunt  
quidem, quae ex ea re argumenta ducit, partim falsa, par-  
tim obscura; res tamen ipsa vera est, intercessisse consue-  
tudi.

(\*) f. 303.

(\*\*) f. 47.

tudinem etiã facrorum Graecis cum Scythis. Itaque  
 Scythae Taurici, postquam multa alia a Graecis acceperant,  
 ab iisdem reges suos concremare didicere. Reges solos  
 inquam. Nam cum ligni inopia laborarent, teste Hero-  
 doto, sumptuosius id genus funeris fuit priuatis plebeiï fa-  
 cultatibus. Mos mansit ad posteros, vt etiam in copia  
 caeduarum syluarum, reguli concremarentur. Hic non  
 possum Iosephi Barbari narrationem de tumulo Scythico  
 praetermittere. Is Venetorum ad Persas orator, A.  
 cio cccc xxxviii, prope Tanaim inuenit monticulos ma-  
 nu factos, monumenta et sepulturas veterum. Habebant  
 alii colles, in summo, grande saxum cum foramine: in eo-  
 rum vno thesaurum esse absconditum fama ferebat. Ve-  
 netis vnum collem molientibus, tempestas et lapidum ia-  
 ctus et nescio quae alia obuenerunt, qualia et apud no-  
 stros tumulos fossoribus nonnumquam obuuisse narrant.  
 Perfodiebant tamen collem lapidibus oppletum, vt nostros  
 esse tumulos ostendi, vt Suecorum quoque esse ex Rudbe-  
 quio cognoscas. Solum erat nigrum, inde carbones,  
 tum cineres ad palmi profunditatem, dein milii corticulae  
 ad spithami crassitiem, inferius Raiarum (qui pisces sunt,)  
 squamae: porro terra alba et dura. Denique vasa lapi-  
 dea apparebant, quaedam carbones, alia cinerem contine-  
 bant, quaedam tergora piscium, nonnulla inania erant.  
 Postremi generis etiam apud nos repertae sunt vrnae et  
 apud Danos quoque, teste Vermio (\*).

Deque iis sic iudico. Posuisse veteres reges eodem  
 tempore in tumulos totius familiae vrnas inanes: idque  
 eo, quod, cum e Graecia aut e Ponticis coloniis perfer-  
 rentur

C 3

(\*) l. c. f. 42.

rentur urnae ad Scythas Tauricos seu Alanos rarius, praestaret simul multas emere, quam mortuo e regia domo aliquo, tum primum e Graecia petere maioribus sumptibus. A Graecis autem urnas quoque petitas fuisse, figura manifestum facit, quae etiam in Prussicis et Suecicis prorsus conuenit cum Graecarum urnarum formis. Monendus est lector, ne credat, me etiam Prussicas urnas e Graecia perlatas existimare: factas dico ad Alanarum urnarum figuram, Alanas ad Graecarum formam. Tandem enim aliquando etiam Alanos figulinam artem didicisse ac prodidisse ad Prussos opinor. Iam cum Alani inanes in tumulis posuissent urnas, ut quisque e familia prior moriebatur, ita in urna sua reperiebat tumulum. Pater familias in maxima, matres in mediis, liberi in minoribus. Poterat autem accidere, ut eorum aliquis sub alio caelo moreretur, huic, veluti apud Graecos, relinquebatur urna pro cenotaphio. Poterat item fieri, ut qui puer a patre in tumulo locatam urnam accepisset, is ubi ad principatum peruenisset, suum sibi domuique suae separatim tumulum conderet: inanem vero eam urnam relinqueret. At, dices, haec et multa alia potuisse in eum modum fieri, scire tamen te velle, quomodo reuera acciderint. Tum enim uero scias, me nihil scire.

Manet igitur, ex mea sententia, Prussos et Alanos a Scythis maioribus suis accepisse morem humandi, cum eo, quod pretiosum cuique fuisset, attamen et a Graecis didicisse exurere caduera et cinerem colligere in urnam, eodemque numos iniicere. Sed opponet se mihi aliquis, ac urnam ostendet runis Suecicis inscriptam, qua confirmare uolet, Suecos nostris communicasse comburendi corpora

et morem et instrumenta. Vide hic urnam inuentam ad primum lapidem a Gedano, in Schroederiana bibliotheca repositam et a reuerendo Frommio descriptam. Runis similes in ea notas esse, is demum negauerit, qui apud Verelium, aut Vormium, aut Rudbequium, aut Hadorphium in praefatione legum Gothicarum, monumenta vetera non inspexit. Si Haraldinam rupem, Gunderupense, Iellingense, Grondalense monumentum inspicias, cognosces, vehementer multa conuenire cum huius urnae literarum ductibus. Nec desideres a me, ut legam. Multae et diuersae fuere runarum notae, quarum pleraeque interciderunt. Lege de his Aragrimum Ionam Islandum. Sed Frommius, qui de runis non satis institutus erat, credidit hic se videre literas eas, quas praeferunt vulgares runae; immo vero, quibus codex argenteus scriptus est. In quo errauit. His ego denique sic respondeo. Primum me, nisi inspecta ante urna, nondum credere Frommio de ductibus huius urnae. Poterat enim fieri, ut hi ductus tantum striae ex figulini opificii arte essent, quales adparent in urna ea, quae in Palaeapolitana bibliotheca est, transmissa e Galindico agro et ante tres annos reperta. De ea igitur re, ut dixi, nisi inspecta prius urna ipsa, nihil decerno. Sed deinde, (tametsi hoc largiter concedam,) quid tum postea? Urnam e Suecia vnam ostendo tibi, ergo omnes aliae e Suecia nobis venerunt? dicam amplius, caeremonias funerum a Suecis habuere maiores? Non nego, per commercia, quae nota ex Adamo Bremensi sunt, urnas quoque commutatas, e Birca adferri huc pro regulis nostris potuisse: nec tamen video, cur tam rudes nostros credere necesse sit fuisse, ut ipsi figulinum opus facere nescirent. Denique nequam colligi potest, tametsi et ea amplissime concedantur,

ur, religionem manium e Suecia ad Prutenos descen-  
diffe.

Iam ego me ita colligo. Quoniam constar, dupli-  
cem fuisse sepeliendi consuetudinem apud maiores nostros,  
comburendi regulos et humandi nobiles, quotquot numi  
in urnis reperiuntur, eos regulatorum fuisse arbitror, ceteros  
numos, qui sine urna e terris erruuntur, iacuisse penes Su-  
panos seu regulos humatos: corporibus et corruptis a pu-  
tredine et ossibus, si qua superfuerunt, per aratra disiectis,  
tandem et numos tales aliquo proiectos ex interioribus  
terrae visceribus, ad paruisse. Haec mea nunc sententia  
est. Probabilibus nec fidem abrogo nec multam tribuo.  
Credo enim ab aliis probabiliora meis adferri posse. Me-  
minerint tamen illi, mihi, per auia viam aperienti, condo-  
nandum esse, si quid aut reliquerim aut non attigerim.  
Ioculare est in tali antiquitate, in qua nos monumenta  
destituunt, veritatem sine errore consecrari velle. Qui  
vero in talibus, quae coniecturis meris innituntur, sibi  
contradici nolit, ille, vt Pyrgopolinices Plauti, *elephanti  
corio circumtentus est, non suo: neque habet plus sapientiae,  
quam lapis.* Tametsi gloriarum plenus et

*uno minor sit Iove, felix,*

*Diues, honoratus, pulcher, rex denique regum*

*Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.*

---

ΝΑΦΕ ΚΑΙ ΜΕΜΝΑΣΟ ΑΠΙΣΤΕΙΝ ΑΡΘΡΑ ΤΑΥΤΑ

ΤΩΝ ΦΡΕΝΩΝ.

---